Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1563
Quelle:
Copyright:

rent &c. et est S. *Augustini* Orationem Dominicam exponentis, ut legitur T. V. Edit. *Maur. Sermo* LVI. *col.* 322.

XI. *fol.* 268. *Incipit prologus Augustini de assumptione corporis gloriose et perpetue virginis.* Ita: *Ad interrogata de Virginis et matris Domini resolutione temporali et assumptione perbenni quid intelligam. responsurus* &c. IX. deinceps *Capitibus* adscritur Deiparae cum corpore in coelos adsumtio, non quidem ab *Augustino*, certe tamen a Viro pio, docto et moderato, ut Edit. mox *cit.* T. VI. *Append. col.* 249.

XII. *fol.* 271. *Meditationes beati Augustini.* Initium: *Domine deus meus da cordi meo* &c. Porriguntur usque ad C. IX. finiuntque: *secundum tuarum multitudinem complaceat miserationum. Per Ihesum christum* &c. Inter Subposita in *Append.* T. *cit. col.* 107.

XIII. *fol.* 275. *Augustinus de sanitate anime et de indigna familiaritate mulierum.* Tres sub hac Rubrica *Sermones* comprehenduntur, in quibus ne γευ quidem de Mulieribus. Primus incipit: *Nostis fratres karissimi omnes homines sanitatem corporis querere, sed quamuis bona sit sanitas corporis, multo melior est sanitas cordis.* &c. Atque hinc Librarius superiorem Rubricam finxit. Sermo vero ipse in Sortilegos, Aruspices, Divinos, Phylacteria et Ligaturas superstitiosas invehitur, quorum utique in *Sermonibus* suis *Augustinus* non semel meminit. Sermo alter incipiens: *Bene nostis fratres karissimi me vobis frequenter supplicasse* &c. extat in *Append.* T. V. edit. *supracit. n.* CCLXXVIII. titulo *de Auguriis col.* 462. ad *Caesarium* relatus a *Maurianis.* Tertius brevissimus ejusdem argumenti init: *O si videatis fratres karissimi quia mea non cessat humilitas* &c. Retuli hos III. Sermones *Vol.* I. P. I. *col.* 814. nescius tamen tunc, medium *Caesario* adscribi. Ita dies diem docet.

XIV. *fol.* 277. *Incipit Hugo* (Victorin.) *de Archa Noe Pro Archa sapientie Cum Archa ecclesie et Archa matris gratie.* Ita quidem praescripsit Librarius opus, quod in edit. *supracit.* T. II. p. 298. audit *de Arca Noe Libri quatuor.* Et quatuor quidem hi Libri in *Codice* eodem modo decurrunt, ut in Editis, quamvis in Capita paullo aliter divisi; at habent adjunctum Librum *Quintum* inscriptum *de Pictura Arche*, quem Editores perperam hic avulsum titulo *Mysticæ arcæ Noe Descriptio* p. 286. praemisere adjecto insuper dubio: *Cujuscunque sit auctoris.* Sed enim melioribus exemplis destitutos id eos fecisse, probant extrema Libri *Quarti*, quae cum apud eos terminentur: *et iucundantur mundi corde in contemplacione veritatis;* in *Codice* nostro procurrendo aperte in Librum *Quintum* introducunt. Itaque en illa: *Breuiter dicturus eram, sed fateor vobis, multa me delectat loqui. Et erat adhuc fortassis, quod dicerem, si vestrum fastidium non timerem. Nunc ergo ipsius Arche nostre exemplar proponamus, sicut pro-*